



Lingutnaym.

etf. 60.5.

PRORECTOR ETIANA  
AD BRUNNEN ALTI  
CENSUS RINCI

PROGRAMMA  
DE EO QVOD NIMIVM EST  
IN  
JVSTITIA ET SAPIENTIA  
*AD ECCLES. VII. 17.*  
FESTO PENTECOSTIS  
IN ACADEMIA JULIA  
ccccxxix.  
P. P.

---

HELMSTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

# PRORECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ JVLIÆ

CIVIBVS SVIS

S. P.

**J**Am diu est , quod ad nauseam usque disputatum fuit de Mediocritate Virtutis , scilicet , num eadem consistat , certamque inde proprietatem habeat vel indicium . (a) Qui de Pierate in Moralibus agunt , eam h̄ic objiciunt , utpote in quā nimum non detur , & quæ proinde medio suo haud absolvatur . Idemque seorsim statuendum est de Dilectione , quā Lex universa impletur , Rom. XIII. 10. Sane neque Deum suprà modum , neque proximum diligere posse , videmur . Sed nos tot Philosophis , Oratoribus , ac Poëtis , Virtutis rationem in medio constituentibus , dummodo recte hoc assertum intelligatur , haud repugnabimus , multò minus proverbia illa , (b) in quæ abiit , tanquam anilia aut male ad rem facientia , accusabimus . Minime omnium verò , quæ extant hac de re in Scripturis testimonia , in dubium vocabimus , cum

---

(a) Vid. Jac. THOMAS. de Mediocrit. Virt. Moral. D. EICHEL. Disp. de Fundam. Peripatetic. Moral. Helmst. 1657. D. NIEMEIER. de Mediocrit. Rat. in Vit. Mor. observandâ. Helmst. 1679.

(b) V. gr. Medio tutissimus ibi : die Mittelstraß die beste was / it. allzuschärf macht schärtig / & quæ sunt plura ejusmodi.

cum tam clara sint, ut nullus exceptioni locus sit.  
 Ita enim Salomo Prov. IV. 27. Ne declines ad dextram neque ad sinistram: averte pedem tuum à malo: vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perverse vero, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producit. Sic & Paulus II. Cor. X. 13. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, quam mensuræ est nobis Deus. Et Eph. IV. 26. de Moderatione Iræ: Irafcimini & nolite peccare. Cum quibus conferri adhuc poterunt loca Deut II. 26. V. 31. XVII. II. 20. Imprimis vero, Cives Optimi, materiem his feriis Pentecostalibus, quibus pro more nostro publicis exhortationibus & doctrinis ex his locis vos alloquimur, præbebunt nobis, quæ ad hanc rem faciunt, verba Salomonis Ecclet. VII. 17. 18. Noli esse justus multum: neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas. In Hebræo est:  
 אל תהי צוריך הרבה ויתר לתה חסום :

Quæ ut eò rectius percipiatis, quid per Justum sibi velit Salomon, videndum est. CHALDAEVS quidem Magistratum, Justitiam distributivam exercentem. לא תזר זכי רטור בענין ואחרחכ חחבא קטול בבית : Noli esse innocens nimis, cum quis reus mortis in judicio tuo declaratur, ut parcas ipsi, ne moriatur. Nec diffitemur, quam saepissime in regimine ac judiciis modum justitiae superari. Refert ideo huc RASCHI ad h. l. exemplum Saulis, subditum sibi Davidem jure quodam, ut sibi videbatur, prosequentis, sed tandem confitentis I.Sam. XXIV. 18. צוריך אהוה ממען: Justior tu es, quam ego. Quod exemplum utinam plures sequerentur, qui in

his terris supremum Dei Tribunal sese putant æquare; ne summum jus ibi quoque summa evaderet injuria. (c) Sed magis ad rem vertes: *Sey nicht allzu fromm.* Idem enim h̄ic צִדְקַת justus est, de quo versu præcedenti 16. *Justus perit in justitiâ suâ.* Et sequi. 21. *Non est enim homo justus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet.* Cui etiam opponitur Impius v. 18. *Ne impie agas multum.* Scilicet, qui, quâcunque etiam conditione vixerit, Virtuti studet sibi convenienti, & à Deo præceptæ. Et sic observabitur melior connexio cum v. præc. 16. Quanquam enim in libris proverbialibus illa non æquè semper spe-  
ctari possit, propter materiarum, quæ incident, nimiam diversitatem, tamen interdum in eâdem materiâ, vel saltem cognatâ subsistunt perguntque paroimia-  
stæ. Ita & hoc loco. Dixerat Salomon, se vidisse justos, quibus haud profuerit, ne perirent, justitia sua, & contrâ impios, qui sceleribus impunè diuque satis indulserint. **C H A L D E V S** causam adscribit astris: **עֶל עֲסָק מַזְלִיָּה וְאַחֲרֵיהָ בְּחֵן כִּי אַנְשִׁים** *Propter constellationes, sub quibus homines nascuntur.* Vnde nimirūm proveniant bona & mala, quæ à Deo, supremo rerum arbitro constituta sunt. Sed Astra non necessitant aut cogunt homines, nec Influxum quoque præbent in Actiones hominum Morales, harumque Effectus. Sapientius ergo idem ibid. *Est qui-  
dem, qui perit in hâc vitâ, nec eum juvat justitia, sed  
servatum ei præmium in vitâ futurâ; prout etiam, qui  
felix*

(c) Proverbiū hoc JČtorum doctâ dissertatione discussit,  
& exemplis ex omni jure illustravit cel. Coll. noster D.  
**KRESSIVS**, Helmst. 1713.

*felix est in hoc seculo, impius, inde non liberabitur à pænis futuris supremi judicii. Sed neque sic satis detecta est causa, cur pereant justi, & floreant scelesti. Igitur illam in ipsa justitiae scelerumque ratione quærere hīc Salomo videtur, quod multa quidem, seu bona seu mala apparent, quæ reverā non sunt, & quibus propterea eventus, inde expectatus, haud respondeat. Monitumque his annectit, cum ita comparatum sit cum justitiā, ut multi eam possidere videantur, qui adhuc longè inde absunt, & frustrā propterea omnes conatus suos instituunt, opus esse, ne à verò Justitiae aut Sapientiae tramite aberremus, aut vi quasi quādam id impetrare velimus, quod spontē non licet. Ergo noli, inquit, *justus esse multum: neque plus sapias, quam necesse est.**

Non carpit proinde hoc loco defectum, sed excessum, qui à Medio rationis ac præceptorum divinorum discedit. Vnde SYMMACH. πλέον, & πεισσας, plus, & supra modum. Et LXX. πολὺ πεισσα. Multum, Abundè. Quoniam si à justitiā deficerent justi, nullum omnino haberent excusationem. Quare cum his potissimum res est Salomonis, qui modum in consequendâ justitiae mercede excedunt, qui plerumque cum diu satis scelera creverunt, tanto majorem habuerunt applausum, quo facilitius est, in duo extrema ruere homines, prout historiæ docent. (d) Ait enim: אל תזרק ורבה Noli esse

A 3

ju-

(d) Ita de Christianis in universum D. NEVMANN. de Christianismo Stoico, hodièque redivivo, Witt. 1706. Et de Moribus nonnullis Seculi Justinianæ Paganinus GAVDENTIUS, Argent. 1654. Ne quid de ætate Christi, quo Pharisaismus imprimis obtinebat, dicamus.

*justus multum.* Nimia scilicet justitia & contrà ipsam sortem mortalium est, & contrà naturam virtutis, ut pote in quâ & tempus, & locus, & personæ observari debent, ut ne quid nimis sit.

Non fert sors mortalium in hoc seculo, ut vel unum opus bonum perfectè & sine labe præstent, nedum suprà illud ascendant, & plus boni eidem addant, quam debabant. (e) Quæ erat illa ratio, quam ipse Salomon adjiciebat v. 21. *Non est enim homo justus in terra,* (כִּי אָוֹם אֵין צְדִיק בָּאָרֶץ) *qui faciat bonum, & non peccet.* Clariusque ideo Servator Luc. XVII. 10. *Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Equidem sunt, qui hic Impeccabiles nos volunt, è II. Pet. I. 10. *Hec enim facientes, non peccabitis aliquando.* Sed benè est, quod Apostolus in eo ponat immunitatem à peccando, si satagimus per Bona Opera firmam facere vocationem & electionem nostram. Si satagimus, inquam. In satagendo ergò subsistimus tantum, nec opus absolvimus. Si hoc possumus, in quantum possumus, non peccabimus. Ut dicit Sira-cid. VII. 40. *In omnibus operibus memorare novissima tua, & in eternum non peccabis.* Sunt &, qui opponunt Opera Supererogationis, qui quidem Salomoneo huic & verbis & opere directè contradicunt: *Noli esse justus multum, seu suprà modum.* Idque ut majori cum specie defendant, sequi se non immerito, putant, consilia Christi, Matth. XIX. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus;* scilicet ex quo

(e) Prolixè hoc prosequitur ex AUGUSTINO & GREGORIO LUTHERVS T.I. Jen. Germ. p. 427. sqq.

quo servasti jam Decalogi præcepta. Item Matth. V.  
 40. *Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium;* scilicet, ex quo fecisti, quod rectum est, dum in foro causam egisti. At cur non æquè sequuntur illud? Matth. XVIII. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Nec enim horum quicquam in nostrâ potestate est, ut faciamus, aut omittamus, sed si casus talis emergat, ut neque Deum diligere, neque proximum liceat ullâ ratione, nisi his consiliis obtemperemus, nihil aliud, quam quod debemus, efficimus. Vitam ideo pone-re pro Deo debemus, nedum bona deserere. Consilia hæc Christi ipsa nostra præcepta sunt, quorum ex-sequendorum studiosi fuerunt, specimenque saltem aliquod dederunt præ ceteris primi Christiani. At ô utinam, rectè executi fuerint. Et utinam exactè im-plere etiam nobis integrum sit. At quantum deest, ut ip-si, qui vel castitatem spontaneam vel paupertatem eligunt, partem saltem horum obedientiâ suâ asse-quantur! Imprudentes igitur sunt, & male de quovis hominum genere merentur, qui ita cum volunt, evenire fingunt, ut locum habeant, ac necessaria omnino sint illa Christi consilia, quæ certè, quò graviora sunt, eò magis nocent, si intempestiva sint; utque vel ipso nimiam illam justitiam exercere, vel ab aliis exigere queant, perinde quâ ratione id fiat.

O si primum Charitatem probè & ad voluntatem Dei sectari, discerent! Quid Paulus? *Si distribuero in cibos pauperum, inquit, omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mibi prodest;* 1. Cor. XIII. 3. Si

Si primum indolem cujusque virtutis recte indagarent, ubinam & quando obtineat. Hoc enim illud erat, quod Mediocritate suâ volebat ARISTOTELES, l. 2. Eth. c. 5. Τόδε ὅτε δεῖ ποιεῖν, καὶ πρὸς τὸν, καὶ τὸν εὐενα, καὶ τὸν δεῖ, μέσον τοῦ καὶ ἀγείρον, ὅπερ εἰπεῖ τοῦ αἰετῆς. *Quando oportet, et in quibus oportet, et cuius causa oportet, et quemadmodum oportet, medium est simul et optimum virtutis.* Hoc ergo satis primum spectetur, ne Deum diligendo proximum negligamus, aut proximum favore prosequendo, Deum ipsum deseramus; aut ne liberalitate nimiâ prodigi, parsimonia nimiâ avari, rigore aut justitiâ nimiâ crudeles, fortitudine nimiâ temerarii, libertate nimiâ indomiti, jejunii & precibus nimiis stupidi, morosi, & ad labores necessarios inertes evadamus. Dixeris: Quis verò Deum diligat nimium, quem ex toto animo, & ex omnibus viribus diligere jubemur? Matth. XXII. 37. Quis oret nimium, cum semper & sine intermissione orandum sit? I. Thess. V. 17. Et quis vitae sanctimoniam, plusquam par est, sectetur, sine quâ nemo videbit Deum, Hebr. XII. 14. & quam ne quidem satis quis unquam exercebit? Quis timebit repetitionem aut multitudinem, qui per virtutis exercitia crebriora ad perfectionem tendit, quod Apostolus vult Hebr. VI. 1. At pone mihi aliquem, qui Deum diligat, ubi imperfectionem suam agnoscit, & in Christum ideo credere debebat? Nonne hoc erit nimium Deum diligere, eoque tempore, ubi pœnitendum erat, atque credendum? ut nihil impediatur, quod Deum semper diligere debeamus. Confundet ita cum Fide dilectionem, invicem ideo longe distincta, cum hac peccata luere vult, & extinguere, quæ

quæ solâ in Christum Fide delentur. Diligit, ubi non debebat. Diligit imperfetè, dum diligit intempestivè, ac nimium. Diligit contra mandarum divinum. Da orantem, nec quicquam laborantem, (duo enim hæc simul stare nequeunt,) da invocantem Deum de Regno Gloriæ, sed eodem tempore flagitiis indulgentem, da supplicantem pro divitiis amplioribus, pro quibus jam acceptis gratias agere Deo competebat; sancè nimium ille orabit, nimium Deum invocabit, nimium supplicabitur, ubi frustranea sunt hac omnia & importuna. Meritoque his precibus suis inhærentibus objicitur à Servatore, ut Marc. X. 38. *Nescitis, quid petatis.* Da sanctulos propriæ infirmitatis nescios, & tamen suprà alios emergere cupientes, opere uno alterove, quod alii æquè non possunt, expleto. Qualis erat Pharisæus ille, Luc. XVIII. 9. minus ideo quam publicanus, justificatus, qui justus magis esse, sibi confidebat. Quales etiam, qui excolant culices, & camelos glutient, menthamq; decimant, & graviora legis relinquent, Matth. XXIII. 23. Tales quidem prima sanctitatis subsellia haud attigerunt, tantum abest, ut omni suo impetu eadem superent. Da deniq; ad habitum aut perfectionem contendentes, nihil hos eadem sæpè repetere juvabit, quæ suis nævis laborant. Quin incident tandem cum eodem Pharisæo, de quo ante, quò frequentiores in his sunt, in scyllam, dum volunt vitare charybdim.

Hypocritæ plerumque fiunt, aut securi ac pertinaces, sibique aut suis rebus ἐπελαθησονται suā male consulentes. Unde quadrat hic exemplum, de quo ABEN ESRA ad h. l. אל תזרע אם ותophage ללת מן חבקר ועד הערב והתרעה כפו שורשנו וזרעמה להם תשומם העניין תסוב מפרק היישוב כפו שורשנו

B

חרומיט

וְרוּמִיטֵר בָּאָרֶץ אֲרוֹם וְשָׁמְעָל : Ne sis. Nempe si oraveris  
 à mane ad vesperam usque, teque affixeris, & si quid talium, confunderis, b. e. à viâ rectâ & solidâ recedes, quemadmodum faciunt Eremitæ inter Edomitas, (Christianos,) & Ismaëlitæ. (Turcas.) MAYMONIDES c. III. רשות f. de Moribus, huc trahit Nazaræos, & similes, qui in Talmude Chasidim, vel Sancti dicuntur, quos nihil feciis Scriptura appellat Peccatores, Num. VI. II. Et expiat super eum, èd quod peccavit super animam. Quæ frustra quidem exagitat VOISINIUS ad RAYMUND. Pug. Fid. Part. III. Dist. III. Cap. XXII. quod nihil horum sit, quod cum ratione non fiat, aut à virtutis medio aberret. At μέγα λίαν ἀτρητα hoc est, cui probando utut omnem ætatem insumerit, tamen efficiet nihil. Ecclesiæ verò approbat nec virtutem ipsam nec virtutis regulam constituit, ut nec mores seculi vitia excusant. Multitudo errantium non parit errori patrocinium. Erant utique longè plurima, in quæ ante aliquot annorum secula non solum consenserat Ecclesia Catholico-Romana, sed quorum etiam necessitatem imposuerat, quæ nisi Lutheri tempore fuissent emendata, Ecclesiæ in perniciem facile conjecissent. Tanta erat in orbe Christiano confusio, tanta desolatio.

Vbi enim limites justi & æqui transcendimus, fieri nequit, quin in ejusmodi mala incidamus, quæ certò inde subsequi, prævidit Salomon, & Spiritus Sancti instinctu prædictit. Cur te ipsum perdes? inquit. מה תשים pro תהשימים in Hitpaël. Homines enim ipsi fortunæ suæ fabri sunt. Non astra proferunt eam, nec de humo oritur dolor, Job. V. 6.

Quare ut in Virtute Morali, sic & in Dianoëticâ plus

plus nimis obtainere posse, indicat rex sapientissimus,  
*Ne, inquiens, nimis sis sapiens.* Scilicet hoc erat il-  
 lud ψυχοφεονū Rom. XI. 12. de quo ibi Paulus: *Noli al-  
 tum sapere.* Et Siracides c. III. 22. 26. *Altiora te ne  
 quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Multos sup-  
 plantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus  
 illorum.* Aliter ergo Davides Ps. CXXX. 1. *Domine,  
 non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.  
 Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus suprà  
 me.* Quænam ergo illa sapientia est, quæ medium  
 observat, & quænam regulæ suæ firmiter inhæret? Re-  
 spondet Siracides l. c. *Quæ præcepit tibi Deus, illa  
 cogita semper.* Et Paulus I. Cor. II. 6. 7. *Sapientiam lo-  
 quimur inter perfectos: sapientiam verò non hujus se-  
 culi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur. Sed  
 loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est,  
 quam prædestinavit ante secula in gloriam nostram, quam  
 nemo principum hujus seculi cognovit: si enim cognovis-  
 sent, nunquam Dominum glorie crucifixissent.* Apage  
 nunc Sapientes Stoicorum, de quibus LAERTIVS:  
*Mn̄ dōξάσιν, τετέσι ψευδεὶ μὴ συγκαραθήσεσθε μηδὲν,* item E-  
 clog. STOBAEANÆ: *Mn̄dē dōξάσιν, μηδὲ αγνοεῖν μηδὲν.*  
 Quod neque opinentur, neque falso unquam accedant,  
 aut quicquam ignorent. Apage Sapientes, ἀπαθεῖς omni-  
 no, aut impeccabiles, aut quibus præter opinionem eveniat nihil. (g) Hos certè, ut sapientes nimis esse vol-  
 lunt, justos quoque hinc esse nimium oportet. At  
 n̄ faciunt nimis intelligendo, ut nihil intelligent; imò  
 faciunt sese ex insipientibus oppidò iniquissimos.

B 2

Nec

(g) Vid. Lipsius Manuduct. ad Philos. Stoic. Diff. VII.sqq.

Nec est quod instes, sic verò à Pietate mature remittendum esse, atque desistendum à Sapientiâ, ne supra sphæram saltemus, vel dejiciamur. Defectum enim addit quoq; Salomon, v. 18. cum hanc prævideret instantiam. Ne, ait, *impie agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Atque hinc etiam ne animum despondeamus, aut benè agere definimus, v. 19. *Bonum est, pergit, te sustentare justum, sed ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.* Destruit quidem sectatores suos pietas ac sapientia immodica, at ubi nulla harum est, sed scelerum colluvies, ibi imminet interitus ante diem. Benè, si in utrâque pergamus constanter, nec regulam divinam deseramus, quam Christus Servator præscripsit.

Hæc igitur, cogitate, ô nostri, dum sapientiæ studiis operam datis, & virtutem exercetis, indeque nomen gerere cupitis. Hæc sapite etiam his feriis, & Spiritum Sanctum doctorem vestrum rogate, ut in omnem veritatem vos ducat. Ita certè si verè rogatis, nec vitiis fræna laxatis, quod ab interitu vos servet, impetrabitis. Impetrabitis auream illam è Verbo Dei mediocritatem, impetrabitis quoque ad hanc humanæ sapientiæ subsidia, & nihil facile committatis, quod iniquum in Deum, aut iniquum in vos ipsos, aut alios sit. Et si quicquam tamen committetis culpâ vestrâ, quod ab indole vestrâ alienum haud sit, non enorme illud, nec perpetuum erit, nec tale, quod emendationem repudiet. Omnia verò teget Christus, qui unus factus est nobis Sapientia à Deo, & Justitia & Sanctificatio. Valete. P. P. in Ac. Juliâ d. V. Junii

MDCCXXIX.

JJ 4467

ULB Halle  
005 375 053

3



bna


VDA8

BW



**Farbkarte #13**

**B.I.G.**



15  
PROFESSOR ET PRAESES  
ACADEMIAE JULIAE  
CIRCA 1700  
**PROGRAMMA**  
DE EO QVOD NIMIVM EST  
IN  
**JVSTITIA ET SAPIENTIA**  
*AD ECCLES. VII. 17.*  
**FESTO PENTECOSTIS**  
IN ACADEMIA JVLLIA  
ccccxxix.  
P. P.

---

**HELMSTADII**  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.